

34. *Sancti moraliter tantum faciunt miracula.* — Resp. II. Secundum Glossam communiter receptam in c. un. h. t. in 6. *ŷ. Sedis apostolicæ*, quatuor principaliter requiruntur ad verum, ac proprie dictum miraculum. *Primo* quod fiat supra naturam, id est, præter ordinem totius naturæ, ut dicitur in definitione ejus. Ex quo cum divo Thoma, et communi aliorum infertur; quod solus Deus proprie ac physice facere possit miraculum; si enim aliqua creatura v. g. angeli, sancti, ac dæmones id facere possent, jam non supra naturam, nec præter ordinem totius naturæ esset; unde dicitur *Psal. LXXI, 18: Qui facit mirabilia solus.*

Hinc infertur ulterius, quod nec sancti, nec angeli, nec dæmones, nec magi unquam vere ac physice fecerint, nec facere possint vera miracula. Neque obstat, quod passim dicatur, et credatur, per Sanctos facta esse, et adhuc fieri plura miracula; quia hæc ab illis non physice, sed moraliter tantum fiunt, in quantum nempe Deus ad preces ipsorum, vel intuitu fidei, atque meriti eorum, aut in confirmationem sanctitatis eorundem miracula patrat. Pariter non obstat, quod can. *Teneamus*, 56. cau. 1. q. 1. sicut et *Exodi VII, 22*, habeatur; magos Pharaonis fecisse miracula: et eodem can. *Teneamus*, necron *Actor. IX, 10*. dicatur, Simonem magum patrasse miracula. Resp. enim cum divo Thoma mira illa per magos Pharaonis, sicut et Simonem magum (idem dic de mirabilibus per alios magos et malos homines ope dæmonis factis, aut exhibitis) patrata, vera non fuisse miracula, sed vel meras illusiones auctore dæmone prodeuntes, quibus phantasia mortalium ita decipit, ut videatur eis, hoc vel illud adesse, aut contingere, cum tamen a parte rei nihil sit: vel esse effectus aliquos revera existentes, et quidem mirabiles, ope dæmonis activa passivis applicantis, aut alias virtute sua naturali angelica agentis productos, qui, quia facultatem et captum humanum excedunt, indeque admirationem in intellectu humano causant, mirabilia seu miracula in sensu largo dicuntur, quamvis revera proprie talia non sint, hoc ipso quod a creatura aliqua fiant.

35. *Requisita ad miraculum.* — *Secundo* juxta Glossam citatam requiritur ad verum miraculum, ut appareat illud a Deo, et non ex arte contingere, neque ex diabolo; quæ conditio jam videtur esse inclusa in primo. *Tertio* requiritur, quod fiat

non vi verborum, sed vel hominis merito, vel in testimonium veritatis: hinc transsubstantiatio panis in Corpus Christi par sacerdotem vi consecrationis causata ad propositum, et prout ad canonizationem requiritur, non est miraculum.

36. *Miracula quare faciat Deus?* — *Quarto* requiritur, ut fiant vel in testimonium, et corroboracionem fidei; vel in testimonium sanctitatis, et insignium meritorum alicujus, quem Deus vult hominibus proponere in exemplum virtutis, aut per eum miraculis illustratum quædam magna operari. Duplicem enim ob hunc finem Deus facere solet miracula, videlicet, ut iisdem vel fidei veritatem confirmet, et corroboret, juxta illud *Marc. XVI, 20: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; et Hebr. II, 4: Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus.* Sunt namque vera miracula infallibile signum fidei; cum enim non nisi a Deo fiant, et quidem in testimonium veritatis; Deus autem falsitatis testis esse nequeat, consequens est, quod, quidquid Deus per miraculum confirmat, et testatur, verum ac infallibile sit: secus enim, Deus homines deciperet, prout amplius controversistæ. Dein etiam miracula patrat ad demonstrandam alicuius sanctitatem, et specialia merita; ut inde homines ad imitationem vitæ perducatur, aut apud eosdem tali Sancto (si adhuc in vivis degit) auctoritatem, et æstimationem pro operibus, quæ forsitan Deus pro sua gloria, aut animarum salute agere per talem intendit, conducentem faciat; vel ut homines ad talem (si jam mortuus est) invocandum, ac honorandum, sicque gloriam ejus in cælis suo modo augendam inducat.

37. *Et per quos? Instructio practica.* — Ubi advertendum, quod ob primum finem, videlicet in confirmationem fidei, a quovis veram fidem habente, eamque prædicante, ac nomen Domini invocante, etiam peccatore fieri possint miracula (moraliter) prout patet in Juda proditore, qui in testimonium fidei æque ac alii apostoli patravit miracula, *Marc. III, 45*. Ob secundum autem finem in testimonium nempe sanctitatis alicujus, aut insignium meritorum apud Deum, non fiant nisi ab illis, qui coram Deo speciali sanctitate ac perfectione vitæ, specialibusque meritis fulgent, sive dein in vita, sive post mortem miracula fiant.

Hinc si apparet, miranda quædam non in testimonium fidei, sed ex alio fine, vel inutiliter et absque simili fine fieri ab omnibus speciali virtute non fulgentibus, signum manifestum est, talia mira per dæmonem fieri, vel alias latere fraudem, proinde caute, ac circumspecte procedendum, nec facile talibus credendum, sed potius eisdem invigilandum esse.

Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* alleg. 97, n. 8. quatuor enumeratis ad verum miraculum requisitis conditionibus etiam quintam et merito addit, nempe ut fiat præter consuetum, et ordinarium modum causandi: defectu cujus, creatio animæ, conservatio universi, etc. quamvis a solo Deo fieri possint, ad propositum vera miracula non sunt.

38. *An et quomodo unum miraculum sit majus altero?* — Quæritur IV. An ex miraculis sit unum majus altero, et qui dentur gradus inter ea? Resp. cum D. Thoma part. I, q. 105, art. 8; Mascardo *de Probationibus*, concl. 1065; Bartholo, et aliis, quod inter miracula unum sit majus altero, non quidem secundum comparationem ad divinam potentiam (quia quodcumque factum divinæ potentiæ upote infinitæ comparatur, est modicum, imo minimum quid) sed dicitur unum miraculum majus altero per comparationem naturæ creatæ, prout magis vel minus eam excedit. Tripliciter autem potest aliquid excedere facultatem naturæ. *Primo* secundum substantiam facti; ut quod duo corpora sint simul; quod homo habeat corpus glorificatum, prout accidit post Christi resurrectionem; vel quod sol stet, aut retrocedat, prout contigit ad preces Josuæ, et Ezechie regis. Et ita tenent summum gradum in miraculis, cum ea nullo modo possit facere natura.

39. *Secundo* potest aliquid excedere vires naturæ quoad subjectum ejus, in quo fit, id est, quando aliquid fit, quod natura ipsa quoque facere potest, sed non in illo, sive in tali subjecto, in quo fit: sicuti est resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum, et hujusmodi: potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; et potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum gradum in miraculis. *Tertio* excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad modum, ac ordinem faciendi, id est quando tale quid fit, quando natura ipsa facere potest, sed non in illo ordine aut modo. Sicuti

est, cum quis subito, ac instantanee divina virtute liberatur a febre nullis adhibitis medicamentis, prout contigit socru Simonis Petri, *Luc. IV, 39*. Aut cum per statim divinitus condensatur in pluvias absque causis naturalibus, sicuti factum legitur ad preces Samuelis et Eliæ prophetæ. Aut si insolito modo panis multiplicetur etc. nam hæc omnia possunt a natura fieri, sed non tali modo, ac in tali ordine. Et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis; habent tamen diversos gradus inter se, secundum quos diversimode excedunt facultatem naturæ.

40. *Miraculum non necessario fit in instanti.* — Quæritur V. An verum miraculum fieri debeat in instanti? Resp. negative, ita contra Dianam, part. II. tract. XVII, resol. 48; Zerolam, *ŷ. Miraculum*; Riccium, *Piascium*, et divum Thomam sentiunt Cajetanus, Vasquez, et alia Diana citati. Ratio est, quia nil refert ad miraculum sive in instanti, sive successive fiat, dummodo tale sit, quod non nisi a Deo fieri possit, et præter consuetum causandi modum, ob bonum finem, testimonium nempe fidei, vel meritorum factum sit; confirmatur exemplis miraculose factis ex sacra Scriptura: sic enim Ezechias rex a sua infirmitate miraculose curatus est non in instanti, sed successive, *Isaia xxxviii, 1* et seqq. Pariter et cæcus, *Marci. VII, 25*, non instanti, sed successive, et tamen miraculose visum obtinuit.

41. Illud tamen verum est, miracula instantanea verissima esse miracula, a fraude et deceptione dæmonis magis aliena, quam successiva. Diabolus enim multa potest successive applicando activa passivis, quæ tamen non potest in instanti. Pariter multa potest facere natura successive, quæ nullo modo præstare potest in instanti. Hinc si quis in instanti liberatur a gravi infirmitate, habetur pro miraculo, non vero, si successive; quia hoc non item illo modo potest infirmitas a dæmone curari. Imo etiamsi quis a similibus infirmitatibus, aut aliis tribulationibus per merita, et intercessionem Sanctorum successive liberatur, miracula non vocantur, sed gratiæ et beneficia, quorum plurima quotidie per Sanctorum patrocinia homines obtinent, quæ in hoc differunt a veris miraculis, quod licet forsitan ad intercessionem Sanctorum, id certum non sit, hoc ipso, quod absolute loquendo, vel a natura, vel ab hominibus fieri possint. Quapropter rara sunt miracula stricte dicta,

quæ non fiunt in instanti. Cætera plerumque non tam miracula, quam mira, seu miranda beneficia, item et gratiæ vocanda sunt.

42. *Episcopus examinare et approbare potest miracula. Et quomodo?* — Quæritur VI. Cui competat potestas examinandi, et recognoscendi miracula? Et quomodo recognosci debeant? Resp. Hanc potestatem non tantum summo Pontifici, sed etiam episcopis competere. Ita clare desumitur ex concilio Tridentino, sess. 25. *de Invocatione Sanctorum*, ubi dicitur: « Nulla etiam admittenda esse miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, et approbante episcopo, » qui textus non tantum procedit de miraculis jam canonizatorum, sed etiam non canonizatorum; ita ut episcopus etiam horum miracula recognoscere possit, prout sacra concilii Congregatio declaravit, teste Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 97. n. 3. Fagnanus, *inc. Cum ea eo.* h. t. n. 7. Addit tamen ibidem Barbosa, hanc potestatem aliis episcopo inferioribus non competere; etsi jurisdictione quasi episcopali fulgeant.

43. Resp. II. Examen, et inquisitionem miraculorum debere esse exactissimum, ac rigidissimum, præsertim quoad testes, ita ut regulariter non nisi per testes idoneos juratos, qui non sint singulares, et qui deponant ex scientia per sensus proprios, et singillatim examinentur, miraculum probari valeat; prout pluribus demonstrant auctores arg. c. *Venerabili. de Testib.* et can. *Testes.* cau. 3. q. 9. Item, quod sint plures testes, cum « Unus testis sit nullus testis: » nisi forsitan miraculum esset tale, quod ex natura sua non nisi per unam personam probari possit, uti fit in revelationibus, et apparitionibus; item in miraculis factis in propria persona deponentis, quod aliter probari nequit; vel quando cum dicto unius testis concurrat publica fama, vel alia adminicula. Barbosa, loc. cit. n. 3. ubi addit, sufficere etiam testes domesticos. Insuper docet ibidem, quod episcopus ad examen miraculorum adhibere in consilium debeat etiam theologos, et alios viros probos, id quod expresse præscribitur in concilio Tridentino, loc. cit. ibi: « Adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris. » Porro, si examinat miracula nondum canonizatorum, aut beatificatorum, debet, antequam ea divulget, aut divulgari permittat, totum nego-

tium ad sanctam Sedem transmittere, indeque responsum expectare, juxta constitutionem Urbani VIII. *Sanctissimus* 39 in *Bullario* Cherubini. (ADNOTATIONES LI et LII.)

## TITULUS XLVI.

### De observatione jejuniorum.

1. Materiam hujus tituli, quia exacte, et ex professo tractant theologi, hinc more aliorum canonistarum, eam iisdem relinquimus, et breviter tantum adducimus, quod in omnibus tribus hujus tituli capitulis continetur. In c. 1. h. t. consultus Pontifex respondet, quod, si festum Nativitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariæ, vel festivitas alicujus apostoli occurrat feria secunda, tunc vigilia debeat celebrari, ac jejunari sabbato præcedente.

C. 2. eod. Decernit Pontifex, quod « Omnium apostolorum Vigiliæ sint observatione jejunii celebrandæ, præter vigiliis apostolorum Philippi et Jacobi, et beati Joannis Evangelistæ; quoniam ipsorum solemnitas intra solemnitatem Paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur. » Ibidem ponit, necessitatem, ac infirmitatem a jejuniis excusare.

C. 3. eod. Statuit Honorius III. quod si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multo magis, si in diem sabbati arg. c. 3. h. t.) ob festi excellentiam cuius Christiano liceat vesci carnibus, qui non ex voto, aut regulari observantia ad jejunium, vel abstinentiam a carnibus est adstrictus: ob quam exceptionem doctores communiter docent, quod, cum fratres minores ex voto, ac regulæ præcepto sub mortali obligentur, singulis feriis sextis jejunare; præfato privilegio non valeant frui, sed etiam in Natali Domini jejunare teneantur, si occurrat feria sexta, secus si in sabbato. Vide de hoc amplius apud Marchantium in *Expositione regulæ.* cap. iv. et alios expositores. Reliqua de jejuniis vide apud theologos, et si quid ex canonibus probare oportet, vide de *Consecratione*, dist. 3. et 5. (ADNOTATIO LIII.)

## TITULUS XLVII.

### De purificatione post partum.

1. *Levitici*, XII. in Veteri Testamento, jure positivo divino præceptum fuit, ut mulieres post partum non statim ingrederentur ecclesias, sed tanquam immundæ ab earum ingressu per quadraginta dies, si masculum, per octoginta vero, si foeminam pepererant, abstinerent. Verum quia hæc lex erat una inter cæremoniales, quæ omnes fuere sublata per legem gratiæ, declarat Pontifex c. un. h. t. mulieres ad hanc legem non amplius obligari, sed posse statim post partum, si velint, et vires permittant, ad agendas Deo gratias, templa ingredi. Addit tamen ad finem, quod, si velint ex devotione ab ingressu ecclesiæ aliquandiu abstinere, id eis non sit improbandum, nec denegandum. Hinc consuetudo hodierna ferme ubique vigens habet, quod mulieres post partum per aliquot septimanas ex decentia laudabili ab ingressu ecclesiæ abstineant, et ante ingressum certam benedictionem a parrocho loci recipiant, dantes eidem reciproce aliquod honorarium. Et quamvis nullum existat in jure præceptum, petendi hanc benedictionem ante ingressum ecclesiæ, et dandi aliquid pro eo, sed stando juris dispositioni, utrumque liberum sit mulieribus, tamen consuetudine introduci potest, pluribusque in locis introducta habetur obligatio dictam benedictionem ante ingressum ad ecclesiam, petendi, et aliquid pro ea parrocho præbendi; prout in simili *de Oblationibus* diximus supra tit. *de Decimis*, n. 184. et seq. Illud hic observandum, quod facultas benedicendi post partum mulieres, et aliquid ab eis recipiendi numeretur inter jura parochialia, proinde regularibus nullatenus competat, prout declaravit sacra Congregatio concilii Tridentini interpret. 1662, 18 novembris. (ADNOTATIO LIV.)

## TITULUS XLVIII.

### De ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

1. *Ratio continuationis.* Actum est in præcedentibus titulus de consecratione ecclesiæ,

de celebratione Missæ, de sacramentorum administratione, de divinis Officiis, etc. ad quæ quia ordinariæ necessariæ sunt ecclesiis, recto ordine de earum constructione, et reparatione nunc agitur; et quoniam nomine ecclesiarum etiam monasteria in aliquo sensu veniunt, juxta dicta supra tit. *XLI de Celebratione Missæ.* n. 19. eorumdem quoque ædificationem hic agemus.

## § I.

DE ÆDIFICATIONE ECCLESIARUM, ET REQUISITIS AD EAM: ITEM DE REPARATIONE EARUMDEM AC DE IIS, QUI REPARARE TENENTUR.

2. *Ecclesia in sensu morali et materiali, quid?* — Notandum prius, non esse hic sermonem de ecclesiis in sensu morali, prout nempe significant cœtum, conventum, collectionem, aut congregationem hominum, quo sensu ecclesiam sæpe accipit sacra Scriptura, ut Psal. xxv, 5: *Odivi ecclesiam malignantium*; et I. *Mac.* v, 16: *Convenit ecclesia magna*, et alibi passim: quo sensu etiam cuncti fideles sub uno in terra capite, Papa nempe, existentes vocantur *Ecclesia catholica*, juxta cav. *Ecclesia. de Consecrat.* dist. 1. ibi: « Ecclesia, id est catholicorum collectio; » sed esse sermonem de ecclesia materiali, id est, de templo aliquo manu facto, seu æde publica cultui divino deputata, in quo fideles ad honorandum et invocandum Deum, divina administranda, et percipienda sacramenta, Missæque sacrificium offerendum, etc. conveniunt.

3. *Ecclesia materialis alia basilica, alia cathedralis, alia collegiata, alia matrix, alia baptismalis, alia parochialis, alia regularis, alia sæcularis: et quid quævis?* — In sensu hoc materiali, ecclesia accepta varias habet classes et nomina. Aliquæ enim dicuntur basilicæ, aliæ cathedrales, aliæ collegiatae, aliæ baptismales, aliæ parochiales, aliæ matrices, aliæ finales, aliæ regulares, aliæ sæculares. Basilicæ olim dicebantur ecclesiæ nondum consecratae, ut notat Abbas in *Rubr. de Consecrat. eccles.* n. 2, post Glosam in c. 1. *de Relig. domib.* hodie vero majores, principiores, ac digniores ecclesiæ, *Basilicæ* vocantur; quia *basilica* nomen græcum, domum regiam significat, ad quam nempe tanquam principalem, servitii divini causa, reges ac principes convenire solent, ut notat post Barbosam, lib. II, *Jur. Eccles.*